

esse rationes. Sed Nicomachio 6. capite 13. aliter etiam:¹⁰⁴ *Et Socrates quadamtenus recte quaerebat, quadam vero tenus errabat. Quod quidem putavit prudentias esse omnes virtutes, peccabat, quod autem non sine prudentia, recte dicebat.* Qua varia ac inconstanti relatione
 5 quid solidi ac constantis nobis polliceri possumus? Neque vero quicquam horum in Platonicis dialogis reperitur. Nec est verisimile Socratem tam inconstanter de virtute disseruisse. Longe enim differentes hae res inter se sunt, cum λόγος, *ratio* animae
 10 διάνοιαν et δόξαν, *dianoeam* et *opinionem* dicat, scientia autem est dianoeae habitus, prudentia autem sit habitus opinionis, non cuiuscumque, sed rectae. Quod tum Menone, tum 6. Rei publicae clare traditur.

Ac tantum abest Socratem virtutes esse scientias existimasse, ut tres eius discipuli, Plato in Menone ac Protagora, Xenophon
 15 in Apomnemoneumatis et Simon sive Aeschines^{xiii} in Dialogo de virtute ad hanc rem dicato, induxerit eum disputantem virtutem non esse scientiam, quia non sit διδακτός, *docibilis*. Sic enim in Menone:¹⁰⁵ *Quod si est scientia quaedam virtus, clarum est eam esse docibilem.* Et mox:¹⁰⁶ *Quod si talis sit, docibilis est, non talis vero nequaquam.* Et post longam probationem concludit:¹⁰⁷ *Virtus ergo non fuerit docibilis.* Et in Protagora idem agit contra illius professionem, qui se venditabat veluti virtutis magister. Falso ergo illi
 20 opponit Aristoteles eum virtutes esse scientias affirmasse. Falso etiam quod λόγους, *rationes* eas existimarit, nihil enim tale legitur apud ullum trium eius discipulorum. Falsum quoque quod
 25

¹⁰⁴ καὶ Σωκράτης τῇ μὲν ὀρθῶς ἐζήτει τῇ δ' ἡμάρτανεν· ὅτι μὲν γὰρ φρονήσεις ᾤετο εἶναι πάσας τὰς ἀρετάς, ἡμάρτανεν, ὅτι δ' οὐκ ἄνευ φρονήσεως, καλῶς ἔλεγεν. [ARIST. E N 1144b.18 – 21]

¹⁰⁵ Εἰ δέ γ' ἐστὶν ἐπιστήμη τις ἡ ἀρετή, δῆλον ὅτι διδακτὸν ἂν εἴη. [PLATO, Men. 87.c.5 – 6]

¹⁰⁶ ὅτι τοιοῦδε μὲν ὄντος διδακτὸν, <μῆ> τοιοῦδε δ' οὐ. [PLATO, Men. 87.c.8 – 9]

¹⁰⁷ Ἀρετὴ ἄρα οὐκ ἂν εἴη διδακτὸν. [PLATO, Men. 96.c.10]

^{xiii} Corr. ex Aeschynes